

III.
NEOVIDENSIS

Nro 69. (*Neovidensis Nro 92.*)

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

Epistola data ad Paulum Eszterházy de Galantha.

Ex Hungaria.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 27^o Nov. 1804. (*Neov. 12. Nov.*)

Celsissime Princeps!

Nullus dubito, multos tuorum popularium, quotidie in Elysium descendentium, conquestos fuisse, nihil prodire in publicis Ephemeridibus de Hungaria, ejus nationali felicitate, & politico statu, sed etiamsi hic, aut ibi aliqua eorum patriæ occurrat mentio, id potius ad quandam quasi per transennam factam commemorationem pertinere, quam ad vere depromptum judicium.

Longe aliter se res habet in Germania; hic omnia, quæ typis mandari possunt, sunt in propatulo. Mirabiles curationes, lites, descriptiones mendicorum, & maleficorum, publicæ, & privatæ narratiunculæ: Quapropter multum gratulor Hungaris, quorum facta non ita multum vulgantur.

Hægari gravi, & taciturna sunt indole; sensim maturescunt eorum inventa, & plerumque exitus respondet votis. Germani multum garrunt, veluti grandævi, forte, quod in suis copiosis habitationibus, & urbibus jam anno ætatis tricesimo senescant. Omnia sua facta oculis aliorum exponunt, sæpe se publice exuunt usque ad indusium, ut singulas eorum costas orbis universus possit numerare. Sapientia, & virtutes sunt illis venalia prostibula, quæ in lascivis civitatibus per compita oberrant, irritamentorum venditandorum ergo.

Si publicos commentarios consulamus, testantur Theutones in rebus inveniendis, in Philosophia, in doctrinamorum cæteris nationibus ampliores fecisse progressiones; modo autem, si quispiam pro monumento præclari alicujus viri aliquot grossos conferat, si inventam pecuniam restituat, si infirmi curam gerat, si funus interfectoris sui comitetur, si suos agros meliores reddat, si nova inventa procudat, illico publicis inseritur Ephemeridibus, ejus actio omnibus honorum insignibus ornatur, & quidem sæpe cum exprobratione aliorum, qui illo longe nobiliores fuere, ut adeo publice appareat Heros, quin ipse sciat, quomodo tantum honorem sit promeritus. Bone Deus! si in hoc honestas vitæ sita est, semel facere officium, & forte non amore virtutis, sed ex imbecillitate, aut illicitis finibus, quam levi pretio emanantur tua cœli gaudia!

H
 hæc,
 tur!
 us ex
 alius
 funde
 lum
 virtut
 impre
 m ser
 dignu
 idean
 debet
 qui i
 merc
 rum?
 mino
 a quo
 tutem
 xima
 am
 produ
 garia
 Regn
 quid
 tantu
 quali
 lacub
 altilib
 medi
 que
 nent

Hæu quam ex turbido fonte promanavit hæc, aut illa actio, quæ tantopere buccinatur! Alius præstat beneficia ex vanitate, alius expugnat præjudicia, ut alium deprimat, alius succurrit pauperibus, secus pudore suffunderetur, sed quam difficulter dimittit obulum e manibus! O quot speciem tantum virtutis captant, ut vel semel suum nomen impressum possint videre! Si quilibet commiserationis affectus nationali monumento dignus censetur, quam habebit de virtute ideam populus, qui illam tam exiguo pede debet metiri, & quid cogitabit de tali viro, qui in occulto benefacit, nec novit aliam mercedem, quam conscientiam recte factorum? Pro dolor! nunquam homines virtuti minorem operam dederunt, quam a tempore, a quo illa verbosius prædicatur.

Si Hungaria vellet omnem minimam virtutem publicis literis concedere, forte maxima volumina non possent ejus beneficentiam complecti, atque quodlibet Provinciæ productum pro dignitate commemorare. Hungariam enim natura præ cæteris Europæ Regnis quam liberalissime locupletavit; Quidquid humana exigit necessitas, habet non tantum in affluentia, sed etiam in optima qualitate. Abundat campis, sylvis, fluviis, lacubus, feris, saginatis pecoribus, equis, altilibus, vino, fructibus, frumento, aquis medicis, atque aurifodinis, verbo: Quæcunque producta aliæ Provinciæ singillatim tenent, Hungaria omnia collectim possidet, ne

que facile reperiemus in alijs ditionibus res, quibus Hungaria careret. Ad hæc naturæ beneficia accedit mitissimum regimen, atque intemerati mores.

Sapiens reipublicæ administratio eas duntaxat virtutes deligit, quæ præclari exempli faciem præferunt, & non nisi diu, multumque expensas proponit civibus ad æmulandum. Complura talia præclarissima, imitatione digna facta continent Annales Hungariæ. Verum, ubi morum disciplina nondum cœpit inclinari, ubi virtus civilis præcipuum unius cujusque officium est, ac ab omnibus observatur, ibi mentio virtutis nihil novi, nihil singularis producit, inde fit, ut nemo amplius de ea sermonem instituat.

Celsissime Princeps! Immortalis est hodie tui nominis memoria, & de tuis virtutibus cum admiratione loquentur Historiæ. Tu A. 1685 invicta fortitudine multum ad id contulisti, ut Vienna obsidione liberaretur, neve formidabilis hostis suo exercitu Germaniam inundaret. Quæ fuisset tunc Germaniæ facies? Tempa nostra fuissent in delubra Turcica conversa. Ex arcibus nostrorum Principum facta fuissent gynæcea Turcarum, milites Janitscari dicti, omni prædæ inhiantes ad Rhenum excubassent. Hujusmodi facinora merentur ad seram transmitti posteritatem, dignum omnino est, ut quilibet vir probus nomen Eszterházi

cum summa grati animi contestatione pronunciet.

Hoc periculum, sint tibi, Magne Princeps! æternæ grates, jam pertransiit, terribilibus Turcarum potentia, quam alia assurgentia circumdant regna, & quæ fere ad prima sua initia redacta est, non potest amplius minitari. Aliæ obtinent inter Imperia rerum conversiones. Post cruentum octo annorum bellum, in quo tua natio portenta edidit fortitudinis, in quo copiosus fluxit sanguis Hungarorum ad latus nobilissimi ex Regnante Domo surculi. (*Sine dubio advenæ in campos Elysios, multa tibi, imo plurima narraverint de Principe Carolo*). Post hoc inquam tempus alibi fax belli accensa est, ad Septemtriones ardet Ucalegon. Austria & Hungaria videtur esse extra ictum politicum gentium belligerantium.

In quiete, & cum gaudio spectabant Provinciæ Septemtrionales gravissimam belli molem, quam Austria ab omnibus derelicta ad conservandam communem salutem sustinebat, parum illæ tunc sperabant, uni suo temporaneo lucro intentæ. At nunc septemtrionalis Germania Russiam inter, & Galliam posita impendentia cernit pericula. Tempus novi prælii appropinquat, omnes politici apparatus facti sunt. Heu! Quid

constituetur tandem de Europa? Sequentes
prænuncij indicant dissensiones:

Constantinopoli 13 Oct. Ad tergiversationem
Portæ Ottomanicæ, quæ non vult suum Le-
gatum Parisiis residentem novis litteris cre-
dentialibus providere, declaravit Gallicus Le-
gatus Brûne primo Procerum Turcicorum, se
non posse diutius morari in Aula, quæ Gal-
lorum Imperatorem pro tali agnoscere recu-
sat, nihilque sibi restare aliud, quam ut lit-
teras liberi comœatus habeat. His die 6 Oct.
vespere obtentis, 12 ejusdem iter ingressus
est. Proficiscitur autem Parisios per mare
nigrum, Valachiam, & Vindobonam.

Ibidem remansit *Ruffinius* tanquam nego-
tiorum ad commercium pertinentium procu-
rator (Hæc narratio desumpta est ex novis
Hamburgensibus, quæ asserunt eandem se
via extraordinaria accepisse,)

In publicis nuncijs legitur illa circularis
nota, quam Senatus Hamburgensis occasio-
ne intercepti Anglici Agentis Rumboldii cum
omnibus extraneis Ministris Hamburgi resi-
dentibus communicavit: *Gravi cum dolore cogi-
tur Senatus Vestræ Excellentie significare factum,
quod in omni consideratione acerbum est, Senatun-
que in summam conjecit perturbationem. Elapsa no-
cte manipulus militum Gallicorum ex 200, vel 300, vi-
vis constans in suburbio, mons Hamburgensis voci-*

tato
dii s
infer
capru
Cum
pedin
trato
judic
ejusq
pter
habe
potia

I. P
Pro
cola
ma
tute
ut n
enti
ing
Reg
sep
me
sun
vili
tem
gni
po

tato clam et navibus excedit, atque domo Rumboldii suæ Britannicæ Majestatis in circulo Saxonico inferiore negotiorum gestoris circumdata, eundem captum, una cum rebus ejus Harburgum abduxit. Cum Senatus nulla ratione potuerit hoc factum impedire, sequenti enim die primum de eo jam patrato certior redditus est, nil aliud sibi superesse judicat, quæm efficaci conatu agere, ut Rumboldius ejusque res pristinae restituantur libertati. Eapropter rogat Vestram Excellentiam, persuasissimum habeat: se omnem lapidem moturum, ut optato fine potiatur. Datum Hamburgi 25 Octobris 1804.

B i o g r a p h i a.

Paulus Eszterhazy de Galantha, S. R. I. Princeps, Palatinus Regni Hungariæ ac Pro-Rex, Aurei velleris eques, filius Nicolai Eszterházy, ex antiquissima, amplissimaque Hungariæ familia natus A. 1635. Virtutes Majorum, atque educatio concertabant, ut magnum ex eo virum formarent. In scientiis multum processit, quibus terminatis ingenti cum emolumento diversas peragravit Regiones. Ferdinandus III. Leopoldus I. Josephus I. & Carolus VI. Imperatores ejus meritis plurimum detulerunt, ab his enim ad summas dignitates tam in militari, quam civili statu evectus fuit: Ille vero toto vitæ suæ tempore his honorum insignibus se fuisse dignissimum comprobavit. Omnibus illius temporis præliis interfuit, & ubique strenue, ve-

luti Heroem decebat, pro aris, & focis dimicavit. Ille Viennam hostilibus armis obseptam A. 1683 ex obsidione eripuit; Anno insequente Budam oppugnavit, & Turcas ejecit ex Hungaria. Per id tempus quidam minus contenti detrectabant obedientiam Josepho I. quorum inexpectatæ declarationi ille obstetit, at bona ejus miserum in modum vastata fuere, ille tamen inviolatam Regi fidem servavit usque ad mortem, quam 26. Martii A. 1713. optiit, Kis-Martonii sepultus. Multa adhuc extant ejus pietatis, & magnificentiæ documenta. Hæc familia multos numerat præstantes viros, inter quos præcipue eminent Paulus.

P r o b l e m a.

Tres juvenes suam pecuniam commiserunt alexæ sortium, vulgo Lotteriæ, extractis numeris interrogati, quantum lucri fecerint, reposuerunt: Lucrum secundi est medius proportionalis numerus inter lucrum reliquorum duorum. Si vero omnium lucrum addatur, prodibit summa 49. Si denique fuerit subtractus quadrati numerus secundi ex summa quadrati numeri Lusoris primi, & tertii, erit differentia 481. Quæritur, qua methodo resciri, quantum quilibet sit lucratus?

Carolus Courtin,
Mannheimiensis.